

R. K.
404
73.

Q. D. B. V.
AD

In
6917

EXERCITIUM ORATORIO-POËTICUM

EX
HISTORIA LITERARIA DEPROMPTUM
QUO

NATALEM CLXVII. GYMNASII BEROLINENSIS

FLOS DELIBATUS
STUDIOSAE IVVENTVTIS NOSTRAE

POSTHORAM IX. MATVTINAM
D. VIII. DECEMB. MDCCLXII.

PATRONOS ET MAECENATES
AMPLISSIMOS EVERGETAS BENIGNISSIMOS
BONARUMQVE ARTIVM FAVTORES OMNES
PAVCIS PRAEMISSIS

DE
AMERICANARVM GENTIVM ORIGINE
PEROFFICIOSE ET DEMISSE INVITAT
IOACH. CHRIST. BODENBURG.

BEROLINI
LITERIS CHRISTIANI ALBR. GABERTI, AVLICI TYPOGRAPHI



CONSPECTUS.

- | | |
|--|--|
| <p>§. I. Omnes gentes ab Adamo orta
 §. II. Præadamitarum somnia confutata.
 §. III. De gentium originibus
 §. IV. America non ex Scythia deducendis.
 §. V. Rationes quare?
 §. VI. Grotii sententia de origine Americae populorum borealium
 §. VII. Ex Norwagis deducenda.
 §. VIII. Quod ex moribus eorum confirmatur.</p> | <p>§. IX. Origo meridional. populorum hant iudaica.
 §. X. Sed ex mente Grotii Aethiopica
 §. XI. Difficultates huic sententiae obstantes.
 §. XII. Iu ante America habitata fuit.
 §. XIII. Linemanni ex Platone sententia.
 §. XIV. Eiusque nodi
 §. XV. Fere Gordii.
 §. XVI. Sententia nostra.</p> |
|--|--|



Si qua res alia, priscorum temporum historia, & praesertim gentium origines, Cimmeriis involuta videntur esse tenebris. Quare non est, quod miremur, tot tamque varias de gentium originibus exstare coniecturas. Quaestiones certe futurae essent infinitae, nisi providentia diuina in sacris oraculis *a)* clara, & certo certiora nobis tradidisset. Quibus cum fidem denegare religione prohibeamur, omnium per totum, qua patet, orbem, gentium origines ab Adamo, primo omnium mortalium parente, petendas esse apparet.

§. II. Infelix ille Præadamitarum conditor Isaac Peyrierius, quadrata rotundis miscens, Adamum, quem unicum a Deo creatum concedit, solius Israëlitici populi parentem esse somniat. reliquis mortalibus, a quibus ceteras gentes ortas tradit, ex terra cum animalibus fungorum instar natis. Verum a doctissimis *b)* viris vanissimi hominis audacia tam fortiter confutata est, & profligata, ut, quod toties ab aliis actum, id nunc agere rursus operæ pretium non existimemus.

§. III. Non desunt scriptores, qui sollicita cura, studioque indefesso, origines variarum gentium indagarunt. Sic Strabo *c)* multarum; Britannorum, Germanorumque Tacitus; *d)* Sallustius *e)* Afrorum, aliarum alii incunabula explicare contenderunt, *ee)* De Americanorum populorum ortu accurate tradendo omnes iure meritoque licet desperarint; multi tamen curiosè fati in eundem inquisuerunt; *f)* in quibus meo quidem iudicio

a) Videatur Genes. cap. 1. & speciatim caput X. totum, inque id eruditissimus Doctissimi Sam. Bocharti commentarius Phaleg. dictus,

b) Ex multis nominare iam lubet J. H. Ursinum in nouo Prometheo Præadamitarum plaste ad caucasicum relegato; nec non Danhauerum in fabula priorum hominum ante Adamum conditorum explosa &c. *c)* In libris XVII. de situ orbis passim.

d) In libro de situ & moribus Germanorum, & in reliquis scriptis passim.

e) In bello Jugurthino cap. 17. 18. 19.

ee) Iustinus ex Trogo passim.

f) Quorum aliquos saltem nomino c. g. G. Hornium de originibus Americanis lib. IV. Hagæ Comi.

cio principem locum meretur vir magnus, & immortalis nominis Hugo Grotius. Cuius tractatus, g) cum non in omnium manibus sit, præcipua momenta excerpemus, operam daturi, ut aliquam lucem huic vexata quaestioni affundere pro viribus nostris qualibuscunque possimus.

§. IV. Novus ille orbis, quem Americam dicere moris est, ante ducentos, & quinquaginta circiter annos Europæis demum detectus, h) tantoque aquarum diuortio undique, quantum quidem constat, a reliquis antiqui mundi cogniti regionibus separatus; hominibus, bestiis, & omnis generis animantibus refertus ab Hispanis, cum primum terræ adhuc incognitæ pedem inferrent, reperiebatur. Quare maxima contentione eruditi, alii alia ratione explicare conati sunt, qua parte primi homines in has separatas terras, vel intrarint, vel saltim intrare potuerint. Omne punctum tulisse sibi visi sunt, qui veteres ex Scythia deriverunt Americanos populos, eo quod nisi oceanus Asia & America Anianum fretum obiiceret, terra, quam nunc diuidit, i) cohereret.

§. V. Magnum huic opinioni pondus inesse multi existimant, & maius longe momentum ei accedere, si olim utramque oram cohaesisse, & magnæ tempestatis vi demum auulsam esse fingant: Sed ne quid diffimulem; hæc opinio multis cum difficultatibus conflictatur. Quod si enim ex Scythia oriundi sunt noui orbis populi, cur plaga Asiæ confinis hodieque deserta est adeo, planeque inculta? & cur ante Hispanorum in Americam detectum, qui in tota hac mundi plaga adeo incogniti fuerunt, ut monstrorum instar Hispani equis vecti barbaris essent, equitesque Europæorum tantum terroris nationibus bellicosissimis inferrent; ut pauca alæ equitum multa millia barbarorum in fugam verterent? Autjenim America, & Tartaria ex nonnullorum opinione fuerunt tunc coniunctæ, cur igitur equi aut fugitiui, aut libere pascentes in Americam non penetrarunt? Aut fretum intercedit? Tartaros sine equis, quibus tantopere delectantur, & quorum usus tantus, tamque necessarius in vita communi est, fretum transiisse, k) a vero abhorrere multis videtur.

§ VI.

Comitum 1652. M. Berneggerum ad Taciti Agricolam, P. Laurenbergium de America præcis cognita. G. C. Kirchnerum de Atlantide Platonis,

g) de gentium Americanarum origine,

h) America a Christophoro Columbo Liguræ tempore Ferdin. Catholici M CCCC XCII. detecta, quamquam alii huius detectionis gloriam Martino Behaim Norimbergensi vindicatum eant.

i) Nonnulli Asiam cum America inter terram Jesso, Magnam Tartariam & Californiam coniungunt; Perique autem Geographorum utrumque mundum occidentalem & orientalem freto Aniano diuisum esse statuunt, ad quam sententiam recentiores nauigatores ad unum fere omnes accedunt.

k) Taceo alia argumenta, quibus minor multo vis inest, e. g. ex Gen. 9, 25. 26. 27. nonnulli concludunt fore, ut Japheti posteris in tentorium Semi recipiantur; Americanos vero per tota millia annorum idolis deditos, potiori iure ad maledictos Chamii posteros esse referendos. Nam nondum argumentis cuiusmodi est solidis, Chamii posteros non nisi Africanas terras occupasse,

§. VI. Quare neque illustri Grotio hæc opinio placet; qui Americanarum gentium originem indagaturus, terris, quæ noui orbis nomine hodie veniunt, naturalem situm secutus, in duas partes diuisis, incolas Americæ septentrionalis ex Norwagis veteribus; meridionalis vero partis ex Aethiopibus, quorum imperium quondam ad Oceanum Atlanticum extensum fuit, deducit rationibus non contemnendis plane.

§. VII. Et quidem, quod ad boreales noui orbis incolas attinet, existimat idem Celeb Auctor: Norwagis, quondam Islandiæ, & Grönlandiæ Dominis, facilem transitum in septentrionales noui orbis partes fuisse. Frislandia enim Grönlandiæ vicina, huicque proxima Estotilandia est, quæ continentis Americæ terræ dubio procul pars ab omnibus habetur. Norwagi igitur sterile patriæ solum cum fertiliori terra mutari in Americam transisse censentur, id quod ad veritatem eo propius accedit, quod septentrionalium populorum monumenta, piscatores l) suos duobus sæculis prius, quam Hispani nouum orbem ingressi, Estotilandiam frequentasse tradant. Sequitur ergo, ut non solum potuerint hæc via Norwagi in separatam istum orbem transire, sed etiam transierint. Quod laudatissimus Grotius ex lingua Norwagica partim, cuius vestigia plurima m) in lingua horum Americæ populorum deprehenduntur, partim ex moribus, & vitæ instituto, quod Americanis cum Norwagis commune est, confirmare contendit.

§. IIX. Haut immorari lubet argumentis ex Etymologia Norwagica, & veteris Germanicæ linguæ petitis: Nonnullarum tantum consuetudinum mentionem facio, quæ hanc Grotii coniecturam non parum suffulcire videntur. Quod enim Tacitus de veteribus Germanis, cuius originis procul dubio sunt Norwagi, tradit; id omne fere cum populorum Americæ borealium institutis, atque moribus convenit. Iudices prisca Gothi, aliisque Scandiæ gentibus fuisse, qui summæ rerum præessent, nemo nescit: Apud boreales Americæ populos iudices non tantum quondam fuerunt, sed etiamnum sunt, si fides monumentis historicis habenda. Alexæ fidem apud prisca Germanos ad libertatis iacturam seruatum, ex Tacito n) constat: Idem de his noui orbis incolis scriptores confirmant; quorum tota præterea vita in venationibus o) extra-

l) Vid. supra laudatus Grotii tractatus de gentium Americanarum origine.

m) Qui erudiri cupit, quæ vestigia Norwagica & veteris Germanicæ linguæ in idiomate borealibus Americæ populis proprio reperiantur, ille ad satietatem usque ex Grotii sapius laudato tractatu de origine Americanarum gentium edoceri potest.

n) v. Tacit. de moribus Germanorum cap. 24.

o) Tacitus c. I. cap. 15 sic Jul. Cæsar: vita omnis in venationibus, atque in studiis rei militaris consistit. Critici hunc locum Taciti, & Cæsar's ita conciliant, nonnulli, ut loco Taciti aduerbium (NON) demant: Alii Tacitum de septentrionalibus Germanicæ populis loqui putant: quorum regiones ob paludes, & flumina minus venationibus aptæ sunt.

extrahitur. Temporis supputatio per noctes eadem, quæ Germanorum: Coniugium apud utrosque iisdem ritibus, ac cerimonis initiatur. Mulieribus, ut Germanis, *p*) unæ tantum nuptiæ conceduntur: Corpore infames *q*) ultimis suppliciis adsciuntur. Infantes recens nati in flumine abluuntur. Anima corporibus superstites creduntur. Diis homines mactant, unde apud nonnullas Americanorum gentes mos humana carne vescendi ortus existimatur. Quæ, & multa alia, in quibus borealibus America cum veteris Norwagiæ, Germaniæque populis conuenit, tot verosimilia certe argumenta esse videntur: borealis Americæ gentes ad Isthmum usque ex parte saltim Norwagicæ, non Scyticæ esse originis.

§. IX. Longe alia est conditio populorum trans Isthmum Panamicum meridionales terras incolentium, apud quos, quod mireris, in usu est circumcisio. Quos, cum se ex mari servatos ipsi dixerint, Hebræos multi statuerunt, ex decem tribubus in Mediam auectos; Inde per Tartariam progressos in Americam longissimo itinere, si fabula vera, deuenisse. Sed quam vana sit hæc coniectura, quæ libro IVto Esdræ inani-um somniorum pleno, nititur, vel inde patet: Quod qui ad Jucatanem & loca vicina primi venerunt, circumcisionem quidem ibi obtinuisse, sed cæterorum Judaicorum rituum, nec volam, nec vestigium ibidem extitisse confirmant. Circumcisio certe, qua gens uti consuevit, eam originis Judaicæ esse non euincit statim; alias Mahomedicæ sectæ additi singulari prerogativa gloriari possent, ut iam veterum Aegyptiorum, & Habessynorum nullam faciamus mentionem. *r*)

§. X. Huiusmodi rationibus moti, cum Grotio ad Petri Martyris festi-entiam accedimus, qui ex Aethiopia, quæ quondam Oceano Atlantico terminabatur, nonnullos eo delatos existimat, quod accidere potuit, pro-vectis nonnihil ab ora, aut vitæ pestatis abreptis piscatoribus. Incredible hoc tanto minus videbitur reputantibus, idem olim nauæ euenisse, a quo Christophorus Columbus *s*) primam noui orbis notitiam accepit. Verum

p) vid. Tacit. dicto loco c. 19.

q) Tac. c. 1. cap. 19.

r) Ex sententia Herodoti Judæi, & Aethiopes morem genitalia circumcindi acceperunt ab Aegyptiis vid. Histor. lib. II, cap. 104. Diodor. Siculus Colehis, & Judæis ex Aegypto deriuatis, utramque gentem circumcisionem ab Aegyptiis didicisse confirmat Biblioth. lib. I. Idem Strabo asserit Geogr. lib. 17. Jam vero licet Herodotus, Siceliota, & Strabo hac in re fallantur, cum hic ritus iam ab Abrahamo derinetur: Discimus tamen hinc, apud plures gentes hunc ritum in usu fuisse. Unde a circumcissione gentis ad eius originem iudaicam non valet consequentia. conf. Euseb. lib. 4. præparationis Evangel. cap. 27. & Seb. Schmid. de circumcissione.

s) vid. Frider. Spanhemius in introd. Hist. Eccles. p. m. 530. Tacenda minime sunt Aethiopicæ, cum Indiæ navigationis primordia & quæ sequuntur. Joannes Baptista Ricciolus expressis verbis narrat: Columbum primam noui orbis notitiam a Martino Behaim (Bohemo), quæ in mari Atlantico iactatus tempestate anteriores noui orbis insulas e longinquo viderit. Hispani nauæ cuidam Alphonso Sanchez de Helua tribuunt, qui tempestate ad insulam Domini-

cant

Verum ne meris niti videamur coniecturis, rationes non spernendas plane in tanta rerum caligine afferamus. Habessynorum imperium quondam ad oceanum Atlanticum pertigisse, ignotum historiarum gnaro potest esse nemini, Aethiopesque Christianis sacris, a primis iam post Christum natum, seculis additis ita fuisse, ut simul circumcisionem ex Ecclesia Judaica mordicus retinuerint. Qui vero ad Jucatanem, vicinaque loca, ab annis, (ut ipsi Hispanis quaerentibus responderunt) quingentis circiter venerant, Christianos fuisse; ex ritibus, qui circa Hispanorum adventum adhuc obtinebant apud Americanos, non sine ratione coniecimus. Jucatanenses enim baptismum infantibus annos tres natis Graecorum & orientalis Ecclesiae more, administrabant, eumque nomine regenerationis insigniebant. Regeis; hunc civilem tantum fuisse ritum, a sacro regenerationis lauacro longissime remotum: Verum praeter regenerationis notabilem denominationem, hic multa alia in censum veniunt notatu non indigna. Infantis enim Parentes ad hunc actum celebrandum, eum votis, precibus, ieiunio prosequiebantur. Adde horum populorum opiniones de praemiis, & poenis mortalium posthanc vitam, de confessione peccatorum in morbis, de unctione in fronte, de honesta sepultura, aliisque momentis: A vero, me quidem arbitro sententia Grotii ablutere non omnino videtur: Ex Norwagia, & Aethiopia, nonnullas saltem gentes, quae tempore Columbi in America extiterunt, esse deducendas. r)

§. XI. Difficultates, quae Grotii sententiae obijciuntur, tantae non sunt, ut euertere eius sententiam plane possint. Quarum praecipua est, (quod attinet ad populos meridionales) linguae Americanae & Aethiopicae differentia. Sed ne dicam, quam paucis accurata tam Aethiopicae, quam Americanae linguae notitia insit; quam facile commutatio sermonis Aethiopici & Americani ex mixtione diversae originis hominum, sine communi imperio viventium, nec literarum characteres habentium, tot seculorum intervallo existere potuit?

§. XII. Quamvis igitur hac in parte a sententia Grotii haut abhorreamus; Non ideo tamen, ante hanc voluntariam partim, partim fortuitam Norwagorum, & Aethiopum demigrationem, vastissimum istum novum orbem incolis vacuum plane fuisse existimamus. Absit a nobis impia mens, ut magnam, eamque fertilissimam, & abundantissimam orbis terrarum partem per tot millia annorum inane chaos fuisse arbitremur. u)

Sapi-

eam iactatus sit. Thuanus Hist. lib. I. commemorat sexaginta annis ante Columbi navigationem Belgam nomine Betencurium insulas Azores occupatas Hispanis vendidisse & famam novi orbis, ad occidentem siti, attulisse.

r) vid. de his pluribus sapiens citatum scriptum Hugonis Grotii, cuius potiora momenta hac de re adduxisse sufficiat.

u) Neque enim nobis obstant tot desertorum in Africa & Asia locorum exempla. Illa enim ob aquae

Sapientissimus ille rerum humanarum diribitor nihil; multo minus tot amplissimas terras, thesauros prope immensos, arbores & plantas innumeras, & dotes alias inestimabiles frustra; sed omnia in usum, & emolumenta humani generis produxit.

§. XIII. Quare Albertus Linemannus *) Regiomontanus Professor disertè adfirmare non dubitat: "Americam olim incolis, urbibus, vicis, pagis frequentissimam Europæis tam notam fuisse, quam nobis Hungari hodie, & Turci sunt." Ut hanc paradoxam primâ specie sententiam corroboraret, citat Platonem in Timæo & Critia, qui ex auro sene & sapienti acceperat. "Græcos, qui uni omnium omni tempore maxime insignibus floruerint heroibus, Atlanticos, qui maximis bellis gestis suæ ditioni Afros, Lybiosque ad Ægyptum, Europæos vero ad mare Tyrrenum usque adiecerint, fûs tandem fugatosque in insulam Atlantidis repulisse." Insula ista Asia & Africa iuncta maior prædicatur, pretiosissimorumque metallorum copia abundans & fructibus, bis quotannis ab incolis colligendis. Quare nisi inter mera somnia, & fabulas Platonicas totam istam descriptionem referre lubeat, hanc insulam Atlantidis magnam hodiernæ Americæ fuisse partem, coniecit Linemannus. Extra columnas Herculis profecto hodie nil nisi vastissimum oceanum Atlanticum, si parvas quasdam insulas exceperis, videmus; a quibus tamen vastissima Atlantidis insula haut procul abfuisse dicitur. Et quæ pars terræ quæso alia Africa & Asia simul sumpta dici maior potest, eaque in vicinia Africa & columnarum Herculis, quam America, cuius licet magna pars ab aquis furentibus sit absorpta: Ea tamen hodiernum Europa, atque Africa iunctim sumpta maior est. Quæ quæso terra ditior, frugumque feracior est America, cuius lapides sub adventum Hispanorum aurei & argentei esse videbantur? y)

§. XIV. Multa, fateor, dubia animo omnia æqua lance & singula Platonis verba ponderantibus, occurrunt, quæ Philosophi narrationi fidem historicam derogare videntur. Nil dico, quod audiendo tantum a sene hæc perceperit; tempus certe, quo id factum, cum chronologia nunquam pote-

agua inopiam & arenarum immensarum copiam videntur esse inhabitabiles, quod de Americæ regionibus fertilissimis dici nequit. Tacitus præterea ingentem differentiam, quæ inter exiguum terræ tractum, & alterum mundi hemisphærium intercedit.

*) In dissertatione de Atlantide Platonis. Christoph. Cellarius tamen in notia orbis antiqui lib. I. cap. 11. p. 49. existimat: tres tantam mundi partes præcis notas fuisse. Quod num absolute adseri possit, relinquimus aliis diiudicandum. Linemanni Dissertatio ex Rudbeckio & Jano Birckerodio compilata, neque ingenio, neque iudicio Celeb. Schurzleischio probatur in Ep. Arcan. CCXXX. p. 387.

y) Hæc Linemanni argumenta, fateor, haut firmo satis stant talo. Addit, Platonem dicere hanc miram, & plenam veritatis Historiam. Scilicet, quia fabulam veram credidit. Pergit, Platonis adversarium & censorem rigidissimum Aristotelem eiusdem insulæ facere mentionem. Sed nonne & Aristoteles in eiusmodi rebus nimis credulus esse potuit? Nec argumentum validius


QK Th 69/17 X 313 4136
poterit conciliari. Refert enim Plato, nouies mille annis ante hæc omnia contigisse, quam Soloni hæc ab Ægyptiis sacerdotibus relata fuerint. Neque vero minor nodus offert sese perpendicularibus, terram quondam Europæis tam notam, per tot seculorum intervallum adeo frequenter non fuisse, ut vix fando quædam de eo paucissimi veterum perceperint.

§. XV. Quæ dubia valde speciosa discussuri alii, ad coniecturarum suffugia se recipientes annos lunares Platonis esse contendunt. Alii, quia hæc parum succedit, alia experiuntur via, obuertentes, in tam vetustis rebus notitiæ temporum accuratorem immerito quæri, cum prisca cordatissimi mortalium nullius rei minus, quam chronologiæ rationem habuerint; quam coniecturam & controversiam nostram non facimus. Alterum nodum, qui nonnullis Gordius videtur, Strabo 2) iam solvendum suscepit, dum Ægyptum aquæ olim penitus immerfam, fretumque Herculeum isthmum fuisse confirmat, qui maxima tempestate furentibus aquis ruptus, "mediterraneum mare cum magno oceano commiserit, postquam insula "Atlantica vehementissimo terræ motu, & horrida inundatione depressa sit. Quæ ratione Ægyptus aqua liberata: Terra Atlantica vero Oceano mixta, propter loca vadosa per longissimum temporis tractum navigationis impatiens, occasionem dedit posteris, has vastissimas æque ac ditissimas regiones obliuiscendi fere, donec circa annum a Christo nato Mille-simum quadragesimum & nonagesimum secundum Christophorus Columbus ingentem insulam Hayti (in Regis Hispaniarum honorem Hispaniolam dictam) prima; Altera vero navigatione Dominicam, totamque Antillarum pelagus; Tertia Panamam & Cubaguanam derexit; postrema tandem occidentalis Indiæ Isthmum attigit celebratissimus Hispaniæ Thalassarcha, Admirabilis, seu Admiralius vulgo dictus.

§. XVI. Meræ coniecturæ sunt, quas protulimus, omnes, tandem hanc penitus aspernanda, donec certiora sagacioribus edoceamur. Americanas gentes Adami posterorū esse, quæ sacris oraculis debitam reuerentiam exhibet, inficiaturum credo neminem. Americam globi nostri, hominibus ad habitandam destituta a Numine sapientissimo, partem esse, in confesso est apud omnes. Navigatio in procul remotas terras ob defectum pyxidis nauticæ institui tuto non potuit. Quare (liceat enim coniecturam coniecturis apponere) America siue cum Europa, siue cum Asia quondam cohesisse videtur: Unde genus mortalium latius subinde se extendens occidentalem hanc mundi plagam occupauit. Variis deinceps calibus ex septentrionibus modo, modo ex australibus regionibus noui mundi habitatorum numerum auctum fuisse, plenis manibus Grotio, aliisque præclaris viris concedimus.

validius præbet testimonium Siciliotæ lib. III. c. 5. & quod *Ἰσθμὸς ἡμῶν ἐστὶν ἡντιπάρῃον* *ἐμβαρύσιον* appellat. Aelian. III. 18. conf. Plin. Hist. Natural. lib. 5. c. 1.
v. Strabonis Geograph. lib. VII. Quam variis modis Platonis Atlantis explicetur vid. in fine
Linemanni dissert. supra iam citatæ. Conf. Zwingerum in theatro vitæ humanæ lib. 1. Lau-
rembergius Atlantidem Platonis de America quoque interpretatur, ob rationes sequentes, sed
generaliores.

- a) veteres notitiam noui orbis habuisse, sed Cellarius supra citato loco idem diserte negat,
b) Carthaginienses non ignorasse insulas Oceani Atlantici,
c) Asiæ Lybiæque simul sumtam quantitatem superari, ab Atlantide, nullique alii in orbe insula con-
uenire &c.



B.I.G.

Farbkarte #13

Q. D. B. V.

AD.

EXERCITIUM ORATORIO-POËTICUM

EX
HISTORIA LITERARIA DE PROMPTUM
QUO

NATALEM CLXVII. GYMNASII BEROLINENSIS

FLOS DELIBATUS
STUDIOSAE IVVENTVTIS NOSTRAE

POST HORAM IX. MARTINAM

D. VIII. DECEMB. MDCCXLI.

PATRONOS ET MAECENATES
AMPLISSIMOS EVERGETAS BENIGNISSIMOS
BONARUMQUE ARTIVM FAVTORES OMNES
PAVCIS PRAEMISSIS

DE
AMERICANARVM GENTIVM ORIGINE
PER OFFICIOSE ET DEMISSE INVITAT
IOACH. CHRIST. BODENBURG.

BEROLINI

LITERIS CHRISTIANI ALBR. GEBERTI, AVLICI TYPOGRAPHI

BIBLIOTHECA
UNIVERSITATIS
MAGNIFICENTIAE



In
6917